

spe veniae ad omnipotentem deum et patrem misericordiarum fundentes coram quocunque altari in eadem consecrato, tunc per eos in oculis mentis, quocunque infra septa ecclesiae constiterint intellectualiter, aut etiam alias corporaliter conspecto orationem dominicam cum salutatione angelica gloriosae dei genitricis flexis genibus, saltem cordis corporaliter impediti, semel quacunq̄ue die dixerint, necnon in trino pulsu, apud quemcunque locum sacrum civitatis et diocesis nostrae pro pace seu pro Ave Maria, unum Pater noster et ter Ave Maria similiter flexis genibus, saltem cordis extrinsecus impediti oraverint, ac pacem in missa ecclesiae nostrae iuxta eius consuetudinem per osculum dederint vel receperint, ac ubilibet in civitate et diocesi nostra sub praefatione cantato aut dicto: Gratias agamus domino deo nostro, tunc celebranti necnon ceteris, qui tunc inceptam orationem dominicam cum genuum flectione consequenter perfecerint, ac inclinantibus deo cum conpunctione cordis et genuum flectione cantato vel dicto in missae officio: Et homo factus est, quacunq̄ue die et quociens horum aliquod fecerint, quadraginta, recipientibus vero ac dantibus pacem per osculum vel per aliquod signum, de quacunq̄ue missa viginti dies indulgentiarum de eiusdem omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi in domino misericorditer elargimur, his apicibus nostris in testimonium desuper sub sigillo nostro appenso confectis in perpetuum valituris. Datum et actum Misnae anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo octavo in synodo generali ipso die sancti Lucae evangelistae in eadem ecclesia celebrata.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.

No. 927. 1429. 26. März.

*B. Johann gibt unter Beirath des Capitels eine Interpretation eines zweifelhaften Artikels der Statuten des Capitels.*

Johannes — episcopus Misnensis. Quia super certis ecclesiae nostrae statutis et consuetudinibus in generali capitulo ad hoc anno domini millesimo tricentesimo septuagesimo in die sanctae Luciae cum continuatione sequentium dierum olim indicto innovatis nova dubia probabiliter emergerunt, quae declarationem exposcunt et nisi declarationis calculo purificata fuerint, amplioris dissensionis possent materiam generare, quibus cum enucleatione clariori veritatis prompta provisione obviando praesentis interpretationis nostrae oraculo eadem statuta et consuetudines ecclesiae nostrae in dicto capitulo, quoad eorundem observantiam praeteritam et futuram declaratam et diffinitam maxime in ea parte qua cavetur, quod si canonicus praebendatus decedat, quod eius obedientia et panis praebendalis primo anno totaliter cedat defuncto, et in secundo anno recipiat capitulum et fabrica et tertio successor, si per mortem vacaverit, sique alio modo quam per mortem, cum tunc annus pro defuncto locum non habet, ut tunc procurator capituli et magister fabricae praedictos fructus recipiant primo anno: cum aliis declarationibus in dicto statuto sic innovato sequentibus in materia praedicta decernimus et declaramus, nedum locum habere in obedientiis et portionibus canonicalibus maioribus, etiam si forte portiones ab aliquibus panes maiores